

Quando Faventini ^civerunt in servitium comitis
Guidonis apud Montem de Cruce [a].

CAP. XLV.

Anno a Virginis partu ^amcxlvii Faventini omnes equitaverunt in servitium [b]
comitis Guidonis ^cGuerrae [c] ad Montem de Cruce, quem obsidebant Florentini. Au-
dito vero quod comes cum Faventinis, Aretinis et aliis multis gentibus succurrebat
castro, dimissis manganis, Florentini reversi sunt domum. Altero autem anno mis-
erunt in obsequium [d] praedicti comitis milites omnes atque sagittarios. Tunc comes
apud Montem de Cruce pugnavit cum Florentinis, quos penitus fugavit. Tertio vero
anno milites Faventiae iterum in servitium comitis ad praedictum reversi sunt locum.
Tunc enim inter [e] Florentinos et comitem decipientes, spreto iuramento [f], praedi-
ctum destruxerunt castrum.

De destructione castri Cunii.

CAP. XLVI.

Laborantibus Faventinis ad ulciscendas mortes multas ^aet infinita mala [g], quae
ab hominibus [h] de Cunio tempore multo passi fuerant, comes Cunii nimium taedio
guerrae [i] jam fatigatus, cum eis, Deo dante, ita composuit [j]. Domum itaque a ci-
vibus accepit, se civem fecit perpetuo [k], castrum et turrin anno Domini mcxlvii [l]
ad custodiendum civibus tradidit. Verum quid diabolo malitiosius? quid eo artificio-
sius? Ut autem prospexit [m] fructu perditionis animarum et corporum se tempore
pacis privari, quem guerra durante gloriabatur habere, fellea face [n] succensus, ma-
gnam contra comitem exarsit in iram. Iniquissimo pectore nova ^cversans [o] consilia,
quosdam adiit viros, multis malitiis fallaciisque [p] perditos [q], eosque in populo

[a] apud Montem de Cruce, C. V. In C. M., apud montem de f. — [b] equitaverunt in servitium. In C. M., post equitaverunt, repetitur omnes. — [c] Guidonis Guerrae. C. M. habet G. Guerrae. In C. V., Guidi Guerrae. — [d] miserunt in obsequium, C. V. In C. M., et miserunt, et mittunt aequae bene legi potest. Mittunt legit cl. Mitt. In eodem codice, pro in obsequium, legitur in obsequio. — [e] Tunc enim inter. Sic legit cl. Mitt. In C. V., tunc etiam inter. Sed haec exigua periodi pars mutila est, sensuque caret; Codices tamen prorsus inter se consentiunt. — [f] spreto iuramento, C. V. In C. M., spleto iuramento; et saepe spleto habet alibi, pro spreto. — [g] et infinita mala, C. A. Coniunctio et deest in Codd. M. et V. — [h] quae ab hominibus, Codd. M. et A.; qui ab hominibus, C. V. — [i] nimium taedio guerrae, Codd. M. et A. In C. V., nimium terrore guerrae. — [j] ita composuit, C. M. Subintellige se, vel rem. Tolosanum enim saepe hac formula utitur, ut mox videbis. — [k] se civem fecit perpetuo. Utrum particula perpetuo distinguenda sit puncto quodam a subsequenti voce, vel, eo omisso, coniungenda cum sensu subsequente, ex codice Manfrediano, qui nullam, aut vitiosam interpunctionem adhibet, erui non licet. Mihi tamen videtur interpungenda, ut in textu a me allato. — [l] anno Domini mcxlvii, Codd. M. et V. In versione Ital. Greg. Zucculi, p. 16, res eadem ad annum sequentem transfertur. — [m] Ut autem prospexit, C. M. Cl. Mitt. legit perspexit, pro prospexit. — [n] fellea face, Cl. Mitt. sic legit. In Codd. M. et V., fillia face. — [o] nova versans, Cl. Mitt. In C. M., nova vetuans. — [p] multis malitiis fallaciisque, C. V. In C. M., multis malitiisque fallaciis. — [q] perditos, Codd.; sed legi potest etiam praeditos.